



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 84. Legatio Regis Franciæ in Italiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1494.

bat, & quidem Genuæ Flischos, Grimaldos, & Fregosios, Romæ vero Columnenses, Urfinos, Cæsarinos & Sabelios, qui omnes consiliorum suorum participes essent. Tam ampla Cardinalis pollicitatio Regi probatur, moxque bellum decernitur.

§. LXXXIV.

Legatio Franciæ in Italiam.

Ergo Albinus & Perronius Baschius in Italiam Oratores designantur, qui Florentinos ad pristinum cum Gallis fœdus reducerent: ast Legatorum operam eventus fefellit; Petrus enim Medicæus cæpto proposito constanter inhæsit, unice caussatus, eam esse rerum conditionem, ut Florentinus Senatus sese ambiguae Gallorum fortunæ committere, nulatenus possset, additque, præcipuo fœderis, quod cum ceteris Italiæ Principibus pepigisset, articulo sancitum esse, ne fœderati in damnum alterius quicquam molirentur; hujus pacti socium esse Neapolis Regem, proin Florentinos haud posse Gallis viam ad bellum sternere, minus vero, ut ab eis bello opprimerentur, annonam suppeditare. Carolus hac repulsa offensus, cuncta, quæ Petrus Medicæus, ejusque Amici Lugduni

duni possidebant, bona eripi præcepit. Ceterum Oratores Galli Florentia excedentes Ferrariam contendunt, quos Hercules Estensis hujus Ducatus Princeps haud vulgari honorum significatione excepit, omnibus eorum postulatis ultro annuens. Haud segnius Joannes Bentivolius Bonnoniæ Præfectus quamcunque opem Gallis spondit, suosque quatuor filios Francorum stipendia mereri iussit. Auxilium etiam obtulit Senensium Respublica, ea tamen lege, ut non ante Gallici exercitus adventum initi foederis consilia prodere tenerentur, veriti, ne a Florentinis supprimerentur, quod & eorum votis datum est.

Sæcul. XV.
A.C. 1494,

§. LXXXV.

Legati a Papa minus benigne excepti.

Ultimo res maximi momenti Gallis visa est, ut Pontificem, licet parum firmæ fidei esset, ad sua studia certo pertraherent. Hanc ob rem Albinus Papam, quem nuper cum Alphonso foedus sanxisse ignorabat, importunius urget, ut adimpleret ea, quæ tunc pollicitus esset, dum Ludovicum Ducem, ut Galliarum Regem ad superandas alpes induceret, stimulaverat. Ast Pontifex

Ora-